

Quarto, Sancti sunt aquilæ, quia volant super terram, et in cælum ascendunt, ut cælestia aspiciant et terrena quasi longe infra se, et in limo posita despiciant: unde cum Paulo dicunt: «Nostra conversatio in cælis est,» *Philip. iii, 20*. Vide ibi dicta. Vide et S. Gregorium, lib. XXXI *Moral.*, cap. xiv, ubi explicans illud *Job*, cap. xxxix: «Numquid præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis penetridum sibi?» ubi inter alia ait, quod electi quasi aquilæ «cuncta quæ præterflunt, sub sese videant, atque omne quod in mundo eminet, amore eternitatis calcant.»

Quinto, sicut aquilæ firmi et acuti sunt visus, adeo ut irretitis oculis fixe solem intueantur; sic Sancti acuti mentis oculis assidue Christum, qui sol est iustitiæ, contemplantur.

Allegorice: corpus Christi est Ecclesia, ubi sunt aquilæ, id est homines spirituales, qui cælestia sunt doctrinæ et vite; e contrario hæretici sunt quasi corvi atrii et garrule piceæ, et sicut talpæ, qui toti terræ et terrenis incumbunt. Audi S. Ambrosium in cap. xvii *Luc.*, vers. ult., paucis sensus jam datos aliosque plures perstringentem: «Nonne illi videntur aquilæ circa corpus, quando veniet in illa die cum intelligibilibus nubibus Filius hominis, et videbit omnis oculus, et qui eum compunxerunt? Est etiam corpus, de quo dictum est: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Circa hoc corpus vere aquilæ sunt, quæ alis circumvolant spiritualibus. Sunt et circa corpus aquilæ, quæ credunt Jesum in carne venisse; quia omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, de Deo est. Ubi ergo fides, ibi sacramentum, ibi diversorium sanctitatis; est etiam corpus Ecclesie, in qua per baptismi gratiam renovamur spiritu, et occidua senectutis in redivivis reparantur ætates.»

Angogice: Beati post resurrectionem, in die iudicii, ad corpus, id est ad Christum jam redivivum et gloriosum congregabuntur, quasi aquilæ, ut cum eo in cælum ad vitam beati evolent: in aquilæ enim notatur dos agilitas Beatorum, juxta illud *Isaia xi*, vers. ult.: «Volabunt ut aquilæ.» Vide ibi dicta. Unde ex S. Gregorio S. Thomas, in *Catena*, sic exponit: «Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ,» *q. d.* «Quia cælesti sedi incarnatus præsideo, electorum animas cum carne solvero, ad cælestia sublevo.» Et S. Ambrosius, in *Psal. xlviii*, sub finem, pro «corpus,» legens *ruina* (hanc enim significat græcum *πτωξις*): «Ubi ruina, ait, ibi et aquilæ, id est ubi ruina, ibi et resurrectio. Ruina vacua firmitatis est, resurrectio plenitudo vivendi est; adeoque nos Adæ illius ruina vacuavit, sed Christi replevit gratia.» Rursum aquila symbolum est eternitatis beatorum Sanctorum: ipsa enim vivit diutissime, et cum senescit, renovando se juvenescit. Unde proverbium: Aquilæ senectus.

Symbolice: aquila, quia acuti est visus, symbolum est veritatis. Unde S. Ambrosius, *De Fide*

*resurrectionis*: «Ubi corpus, inquit, illic aquilæ: ubi Christi corpus, ibi veritas.» Rursum aquila symbolum est angelorum, hoc celeritatem. Unde S. Ambrosius, lib. I *De Sacram.*, cap. ii, hæc accipit de Eucharistia, *q. d.* In Eucharistia, ubi corpus est Christi, assistunt aquilæ, id est angeli, item sacerdotes et Sancti, qui sunt quasi aquilæ et angeli cælestes. Idem, lib. iv, cap. ii: «Forma corporis, inquit, altare est, et corpus Christi est in altari: aquilæ vos estis, renovatæ ablutione delicti.»

29. STATIM AUTEM POST TRIBULATIONEM DIERUM ILLORUM, SOL OSCURABITUR, ET LUNA NON DABIT LUMEN SUUM, ET STELLÆ CADENT DE COELO, ET VIRTUTES COELORUM COMMOVBENTUR. — Transit Christus ab excidio urbis ad excidium orbis, illiusque signa prævia, e quibus instare cognoscatur, assignat.

«Tribulationem,» intellige tum persecutionem et tentationem, quam afferat pseudopropheta et hæresiarchæ, de qua ep. vers. 23: ita S. Chrysostomus; tum potius tribulationem Judæorum in obsidione Jerusalem, obsidente eam Tito et Romanis; hanc enim solam vocavit tribulationem paulo ante, vers. 21. Ubi nota cum S. Chrysostomo, Hieronymo, Theophylacto, Euthymio et aliis, Christum ut discipulos suos eorumque posteros, expectatione adventus sui et diei iudicii suspensos teneat, ad eumque assidue se comparare stimulet, videri errorem Apostolorum fovere, ac ita loqui quasi statim post excidium urbis foret excidium orbis; idque alio quam Apostoli intelligebant sensu eoque vero. Tum quia, licet 1560 anni jam fluxerint ab excidio Jerusalem, ac plures fluent usque ad finem mundi, tamen omne hoc tempus, licet nobis, qui angustiis brevis ævi et vitæ terminis claudimur, longissimum videatur, cum eternitate tamen Dei, qui verus temporum est mensur, comparatum, valde modicum est et instar momenti. Ita respondet S. Petrus, *epist. ii*, cap. iii, vers. 8 et 9: «Unus dies, inquit, apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unius. Non tardat Dominus promissionem suam.» Hac de causa Prophete et Apostoli tempus Christi et legis Evangelicæ vocant «novissimum et horam novissimam,» ut patet I *Joan. ii*, 18; I *Cor. x*, 11; *Jacobi v*, 8; *Hebr. x*, 37. Eadem de causa Aggeus, cap. ii, vers. 4, ait modicum fore tempus usque ad Christum, cum tamen ab Aggeo ad Christum fluxerint 517 anni. Tum quia statim post hanc urbis tribulationem succedet tribulatio orbis, cujus illa fuit typus et prædium, eo quod nulla insignis et autonomastica Judæorum tribulatio media intercesserit, vel intercedet inter tribulationem urbis et tribulationem orbis; sed hæc illi proxime successura sit non tempore, sed typo, similitudine, paritate et atrocitate. Hac de causa Isaias, Jeremias cæterique Prophete describentes excidium Babylonis, Tyri, Ægypti, Judæa

per Chaldaeos, illico ab illo transeunt et saluti ad ejus antitypum, scilicet ad excidium orbis, quasi mox futurum; ac acerbiter unius per signa et horribilia quæ futura sunt in altero, explanant, ut patet *Isaia xiii*, 19; *Jerem. xv*, 9; *Amos vii*, 9; *Joel ii*, 10.

Ex dictis liquet, minus genuine Aleazaricam in cap. vi *Apoc.*, vers. 12, ex tunc colligere hæc omnia ad litteram pertinere ad excidium, non orbis, sed urbis Jerusalem, de quo hucusque egit Christus. Quocirca ipse per solis et lune obscurationem ac stellarum casum ad litteram accipit Judæorum excæcationem, calamitates et clades illatas per Titum et Romanos; per virtutum coelorum commotionem, accipit Christianorum fugam e Jerusalem immittente obsidione; hi enim sua sanctitate urbem sustentabant: unde iis fuga lapsis, urbs impia cædi a Deo addicta ruit et perit. Verum nemo non videt hæc esse mystica et symbolica, non litteraria.

SOL OSCURABITUR. — Nota hoc signum et sequentia non fore post generalem resurrectionem, ut censent S. Hieronymus et Chrysostomus, sed ante eam, ut patet ex *Luca, xxi*, 26, et ex *Joel*, ii, 31. Jam quoad sensum, S. Augustinus, *epist. 80 ad Hesychium*: «Sol,» ait, id est Ecclesia, «obscurabitur,» quia in tanta tribulatione et tentatione, quanta erit in fine mundi, multi cadent a fide et gratia, qui videbantur esse illustres firmique ut sol et stella. Hic sensus allegorice probus est et appositus, nam hæc plane ad litteram, ut sonant, accipienda esse patet ex *Luca*, et id ipsum passim docent Patres et interpretes.

Solis obscuratio nuda?

Quæres, unde manabit hæc tanta solis sub diem iudicii et finem mundi obscuratio? Respondet S. Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, ex eo quod tanta erit claritas corporis Christi gloriosi, ut solem obscuret. Verum jam dixi hæc signa fore ante communem resurrectionem, et consequenter ante Christi adventum ad iudicium. Respondeo ergo solem obscurandum ex eo quod Deus subduendo soli concursum suum, non quidem lumen, sed vim illuminandi, radiosque suos spargendi illi adimet, quo fiet ut in sole sit lux, in terra vero næra tenebræ, ut fecit in passione Christi, ut ejus indignitatem ostenderet: utpote quam sol, luna, terra, petra omniaque elementa lugere viderentur, imo indignari et fremere in Judæos christicidas, velleque quasi in eos insillire ac exterminare. Rursum Deus inducto fumo et nube densissima solem occultabit; forte etiam ad hoc accedent extraordinarie et miraculosæ eclipses, ut colligit ex *Isaia*, lib. vii, cap. xvi. Plura hæc de re dixi *Apoc. vi*, vers. 12, ad illa: «Sol factus est niger tanquam sacculus cilicinus.»

Hujus solis in fine mundi obscurandi typus fure calamitas et prodigia facta in excidio Babylonis, Tyri, Ægypti, Idumææ, Moabitarum,

etc.; idæoque Prophete, cum de iis loquantur, per catachresin dicunt, in eo solem fuisse obscuratum, lunam quoque et stellas, ut significant atrocitatem cladis, quia videlicet ita incolæ et cives illarum urbium et regionum tunc afflicti fuerunt, ut iis perculsis et attonitis, sol omnique cælum obscurari et atra caligine subduci, tremere et concuti videretur: atrocitas enim calamitatis hominibus inducit virginitatem et caliginem, ut tristibus et afflictis omnia trista et afflictiva videntur; et quia harum urbium clades præclara erant et typi cladum futurarum in excidio orbis, ubi revera ad litteram sol, luna et stellæ obscurabuntur. Vide dicta locis *Isaia*, *Jeremias*, *Amos* et *Joelis* paulo ante citatis.

ET LUNA NON DABIT LUMEN SUUM. — Sole enim obscurato, necesse est et lunam obscurari, utpote quæ a sole suum lumen haurit: unde ad solem accedens apparet plena, recedens semiplena et corniculata. S. Joannes, *Apoc. vi*, 12, ait: «Et luna tota facta est sicut sanguis.» Vide ibi dicta.

Symbolice Auctor *Imperfecti*: «Patrefamilias moriente, ait, tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, et concidis tunicis suis, nigris se operiunt vestimentis: sic et humano genere, propter quod omnia fuerunt creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa cæli ministeria lugent, et candore depositis, pro vestibus, luctuosus tenebris versantur. Nam sol obscurabitur et luna non dabit lumen.»

ET STELLÆ CADENT DE COELO. — Primo, quia stellæ et stellæ sub finem mundi obscurabuntur (æque ac sol et luna, a quibus planetæ, et, ut nonnulli putant, cæteræ quoque stellæ, lumen suum mutuabuntur, ut videantur hominibus cælo excidisse. S. scriptura enim sæpe loquitur de rebus non uti in se sunt, sed uti hominibus videntur et apparent. Ita S. Hieronymus, Beda et passim Scholastici.

Secundo, «stellæ,» id est comete et similes stellæ, quæ in aere gignuntur, tunc ex eo in terram decident; colligitur id ex *Joel*, ii, 30.

Tertio, addit S. Chrysostomus et Euthymius in *Tertio*, fine mundi proprie dictas stellas et sidera e cælo casura. Quod intellige de stellis minimis, quæ proinde non apparent nobisque sunt invisibiles: nam aliqui stellæ visibiles majores sunt tota terra, idæoque in eam cadere nequeunt, ut docet P. Clavius et alii in *Sphaera*. Vide dicta *Apoc.*, vi, 13, et viii, 10 et 12.

ET VIRTUTES COELORUM COMMOVBENTUR. — Origines, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, per «virtutes» intelligunt septiman Angelorum chorum, sive ordinem qui dicitur «Virtutes,» eo quod vi et robore polleat, *q. d.* Hi Angeli, licet potentissimi, videntes tamen solem lunamque obscurari, et stellas de cælo cadere, pluraque horrenda prodigia in fine mundi multiplicari, quasi attoniti ad tantas mutationes et terrores obstupescunt.

Virtutes colorum innovabuntur. Tertio.

Hinc accedit Franciscus Suarez, III part., Quæst. LIX, art. vi, disp. 56, sect. 3: Virtutes cœlorum, ait, sunt angeli, qui magna vi cœlos gyrant et movent; hi commovebantur, quia ipsi quasi ministri divine justitiæ et vindictæ in impios, mutabant ordinem et modum solitum movendi cœlos: qua de causa omnia infiora misciebantur, ac sursum deorsum ibant.

Verum simpliciter per «virtutes cœlorum» accipias ipsa sidera eorumque influentias, sive vires influendi in hæc inferiora, q. d. in fine mundi astra cœli maxima et validissima mutabant suos motus, aspectus, influentias, itaque omnia in terris perturbabantur, ut terra insolitis motibus quassetur, mare exundat, aer nubibus, cometis, fulgtribus, tonitruis, aliisque meteoris et tempestatibus ita concutitur ut omnia everti videantur.

Denique plenissime per «virtutes cœlorum» accipias polos et cardines, qui sunt quasi *גבולות*, Hebr. גבולות *gibuloth*, id est robora, fortitudines et firmamenta cœlorum, q. d. Cœli omnes in fine mundi concutientur, et e suis polis et cardinibus convellentur, ut deorsum vire videantur, idque ut hominibus impiis terrorem injiciant, ac Christi irati indignationem representent. Hoc enim facere Deo est facile, ac terrori illius diei impiorumque et mundi excidio congruum. Fusius hac de re egi, Apoc. vi, 14. Alludit ad Job cap. xxvi, 11: «Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus;» et ad *Isaia* cap. xxxiv, 4: «Tabescent omnis militia cœlorum, et compellabuntur sicut liber cœli, et omnis militia (omnia sidera) eorum defluet sicut defluit folium de vinea.» Vide ibi dicta. Nam, ut ait Beda in cap. xxi Luc., 25 et seq.: «Quomodo impulsus ad casum arbores fragoris motusque sui præmittere solent indicia; sic termino mundi appropinquante, quasi paventia nutabunt ac tremant elementa, et cœli, ut per ignem conflagrationis ardentia et quasi morientia, cum Sanctis resurgant, et in gloriosum felicitatis statum innoventur. Multo plus mundi perituri indicia signaque prævia assignat Joannes, Apoc. toto cap. viii, et ix et xvi. Vide ibi dicta.

Ter. 30. 30. ET TUNC PAREBIT SIGNUM FILII HOMINIS IN CœLO; ET TUNC PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ; ET VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS COELI, CUM VIRET VES MULTA ET MAJESTATE. — SYRUS

et Arabicus, gloria. Quæres, quodnam est signum Filii hominis, id est Christi incarnati? Respondeo: Est crux: hæc enim est signum, quia ipsa est vexillum Christi, et causa victoriæ fidelium; infidelium vero et impiorum olim fuit scandalum, sed eorumdem in die judicii erit condemnatio et tormentum. Ita S. Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius, Beda, Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Maldonatus et alii passim hinc, S. Leo, epist. 97, et fuse S. Augustinus, serm. 13 De Tempore, imo Ecclesia, qua in officio sanctæ Crucis cæcit: «Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Do-

minus ad judicandum venerit.» Cause crux erit apparebit, sunt tres: prima, ut significaret Christum per crucem sibi hæc gloriam et potestatem judicariam meruisse; secunda, ut indicaret Christianam pro salute omnium fuisse crucifixum, ac proinde ingratos esse et inexcusabiles, qui tantam ejus gratiam et charitatem neglexerint; tertia, ut ostendatur omnes Christi crucifixi editores, jam cum ipso esse exaltandos in cœlum, et omnes ejus osiores deiciendos in gehennam.

Ex hoc ergo Christi dicto, valde probabile est ipsissimam Christi crucem, in die judicii, apparituram in cœlo, ad consolationem Sanctorum, qui per illam salvati fuere, ideoque Christo crucifixi se in vita per patientiam et mortificationem conformare studuerunt, ac condemnationem et exprobrationem impiorum, qui crucem Christi aspernati illique ingrati, voluptates suas cruci et mortificationi antelulerunt. Ita censet S. Chrysostomus, hom. De Cruce et Latrone; ac Thomas Waldensis, tom. III De Sacramentis, tit. XX, cap. cxviii. Idem prædixit Sibylla, lib. VI Carminum, dum de cruce ita canit

O lignum felix in quo Deus ipse pependit;  
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,  
Cum renovata Dei facies ignita micabit

Contrarium tamen censet S. Anselmus in *Elucidario*, Abulensis et Jansenius hinc; scilicet, in die judicii non comparituram veram Christi crucem, sed signum sive imaginem crucis in aere ac Angelis formatam et pictum; ac ferret vox «signum.»

Porro, S. Chrysostomus et Augustinus, loco jam citato, ac Cyrillus, *Catechesi* 15, docent hoc crucis vexillum ab Angelis deferendum ante conspectum Christi judicis, descendentis ad judicium quasi tropæum victoriæ ac insigne regale summæ potestatis et imperii.

Insuper noster Salmeron: «Credunt, ait, doctores Ecclesiæ cum cruce etiam columnam, flagella, spinam coronam, clavos, spongiam, lanceam et reliqua passionis instrumenta, ob causas jam dictas, apparitura in die judicii. Unde D. Thomas, *Opusc.* II, cap. cxclvii, asserit quod, veniente Domino ad judicium, signum crucis et alia passionis indicia demonstrabuntur. Hoc probabilis est, at non certum, quia nusquam expressum.

Denique tunc signum crucis apparebit in singulis electorum frontibus, juxta illud Apoc. vii, 3: «Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum, et illud *Ezech.* ix, 4, in sensu allegorico: «Signa *Thau* (id est signum crucis) super frontes virorum gementium et dolentium,» ut significetur illos per crucem pervenisse ad gloriam, et merito crucis cœlum possidere. Vide ibi dicta. Audi S. Augustinus, serm. 130 De Tempore: «Considerasti quanta virtus sit signi, hoc est crucis: sol obscurabitur, luna non dabit luminem;

Cruz est  
in die ju-  
dicii tri-  
tes cas-  
us.  
Primo.  
Secundo.

An et co-  
rum, fa-  
gella.

Christi  
et crucis  
hæc ad  
vopis.

ria cœli, delapsisque sideribus sola radiabit, ut discas quoniam crux et luna lucidior et sole erit præclarior, quorum splendorem, divini luminis illustrata fulgore, superabit. Quemadmodum enim ingrediente rege in civitatem, exercitus antecedit, præferens humeris signa atque vexilla regalia, et ambitum præparationis armionæ, annuntiat regis introitum; ita Domino descendente a cœlis, præcedet exercitus angelorum, qui signum illud, id est triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, divinum regis celestis ingressum terrestrium mentibus nuntiabunt.» Et inferius: «Sed quare crux apparebit tunc? ut cognoscat consilium iniquitatis.»

Plura de hoc crucis signo vide apud Suarez, II part., tom. II, disp. LVII, sect. 2.

ET TUNC PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ. — Id est multi ex omnibus tribus, scilicet omnes reprobi et damnaudi plangent, quod salutem suam, quæ Christo tam caro stetit, ut crucifigi deberit, neglexerint: electi enim gaudebunt et jubilabunt, quod per crucem se salvatos et beatos videant. Est ergo hic distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut loquuntur Logici. Causam plangit dat S. Augustinus, serm. 130 De Tempore, dicens: «Quia tunc plangent omnes tribus terræ, videntes accusatorem suum, id est ipsam crucem, et in ipso arguente cognoscente peccatum suum; sero et frustra fatebuntur impiam cœcitate. Quid autem miraris si crucem afferens veniet, ubi et ipsa vulnera ostendet?» Et S. Chrysostomus: «Et tunc, ait, plangent se omnes tribus terræ; visa enim cruce considerabunt quod mortuo eo nihil profecerunt, et quoniam crucifixerunt eum quem adorari oportebat.» Et S. Hieronymus: «Recte autem dicit, tribus terræ: hi enim plangent qui municipalium non habent in cœlis, sed scripti sunt in terra.» Rursum audi Chrysostomum hinc, hom. 77: «Crucem autem secum habet, ut peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur, veluti si quis lapide percussus ipsum lapidem, vel cruentas vestes in testimonium ostendat.»

Porro plangent, quia, ut ait Anctor *Imperfecti*, hom. 49, tunc Christus impiis dicit et exprobrabit: «Ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus, et delusus, et cæcus, et crucifixus sum, ubi est tantarum mearum injuriarum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum vestrarum; ubi est servitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei debetis? Ego super gloriam meam vos habui, cum essem Deus appares homo, et viliozem me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terræ amplius dilexistis, quam justitiam meam et fidem.» Et nonnullis interjectis: «Merito plangent se, quia tunc neque pecunie divitibus prosunt ad eleemosynam faciendam, neque parentes justi pro parentibus intercedunt, neque ipsi angeli pro hominibus, sicut solebant,

faciunt verbum, quia non recipit natura judicii misericordiam, sicut nec tempus misericordie judicium, dicens Propheta: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Misericordiam in priori adventu, judicium in secundo.*»

Audi plangentem, imo horrorentem S. Bernardum, serm. 16 in Cant.: «Pavo gehennam, pavo judicis vultum ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a tempestate valida, a voce Archangeli et a verbo aspero. Contremisco a dentibus bestie infernalis, a ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem et ignem torquentem, fumum et vaporem, et sulphur, et spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores.» Unde ingemiscens, subjicit: «Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum et luctorem dentium, et manum pedumque dura vincula, et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me, mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis et plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem et cirbus ignis?»

Denique noster Ludovicus Alcazar in cap. vi *Apoc.*, sub finem, ex Forerio hæc omnia ad litteram accipit de excidio Judæorum per Titum: «Tunc enim, inquit, plangent omnes tribus terræ,» id est omnes gentes ad Christum tradentur, et penitendo plangent peccata sua, ac «videbunt Filium hominis in nubibus,» cum scilicet Christum eis per Apostolos gloriam prædicationis Evangelicæ, vel sermone quasi oblectam ostendat. «Et mittet angelos cum tuba,» id est suos conciliatores cum tuba prædicationis Evangelicæ; et congregabunt electos a quatuor ventis,» scilicet eos prædicatione sua ad Christum convertent. Faletur tamen Alcazar Christum alludere ad diem judicii, indeque sumere comparationem. Verum ad litteram hic agi de excidio orbis, non urbis, liquet ex dictis et ex Patrum interpretumque consensu: quare illa Alcazarii explicatio symbolica et ingeniosa est accommodatio, non litteralis explanatio.

ET VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS COELI. — Cause sunt: prima, ut tribus temperet eximiam claritatem corporis Christi, que aliqui oculos reprobos excœcaret; secunda, quia nubes symbolum est arcane divinitatis; tertia, quia nubes sedes est, æque ac vehiculum et umbraculum gloriæ Christi. Hinc passim in veteri Testamento Deus Moysi et Prophetis apparebat in nube, ut patet *Ezech.* i, 4; *Ezod.* xix, 9 et 18. Alludit ad Dan. vii, 13: «Ecce in nubibus cœli, quia Filius hominis veniebat.» Vide que hæc locis annotati.

CUM VIRTUTE MULTA ET MAJESTATE. — Græco, cum magna fortitudine et gloria; Lucas, cap. xxi,

Nubes  
est?  
Causa  
Prima.  
Secunda.  
Tertia.

vers. 27 : « cum potestate magna. » Sicut enim Christus in primo suo in carnem mundumque adventu, venit in magna carnis infirmitate, vilitate et contemptu; sic eodem meruit, ut in secundo veniat cum magno robore, gloria et majestate. Robur ejus et fortitudo apparebit in eo quod, ipso jubente, omnes mortui a morte resurgent in momento; quod omnes homines, angeli et demones ipsum ut Deum, Dominum et judicem suum suspiciunt et venerabuntur; quod in omnes pro meritis foret sententiam, eamque efficacem, cui nullus resistere aut contradicere audeat. Majestas apparebit in immenso corporis splendore, in angelorum omnium ipsum stipantium multitudine et decore, in nubis coruscantibus amictibus, item in prævis tubis, tonitribus, fulguribus, terre motibus, etc. Vide Suarez, III part. tomo II, disputatione LVII, s.ect. 3.

31. ET MITTET ANGELOS SUOS CUM TUBA, ET VOCE MAGNA; ET CONGREGABUNT ELECTOS EJUS A QUATUOR VENTIS, A SUMPIS COELORUM USQUE AD TERMINOS EORUM. — Est hysteron proteron, sive inversus ordo : nam prius Christus mittit Angelos cum tuba, imo tubis multis toto orbe personantes, ut omnes mortuos et sepultos ad vitam evocent et ad judicium citent. Canente enim hac tuba, angeli plurimi singulorum mortuorum cineres colligunt ex hisque speciem corporis humani efformabunt, quod deinde organizabit et animabit Deus; animatos deinde, si sint sancti et electi, glorificabit et beatit : quare jam Beati ipsi per dotem agilitatis sibi inditam, illico ex quibuslibet mundi partibus transferent se comitantibus vel ducentibus angelis in vallem Josaphat ad judicium; reprobi vero, quia carebunt dote agilitatis, vel a demonibus, vel potius ab angelis rapiuntur. Plura de hac tuba dixi, I Thessal. IV, 18. Ea, si lubet, consulte.

A QUATUOR VENTIS. — id est a quatuor, sive ab omnibus mundi plagis, a quibus totidem venti spirant. Nam Eurus spirat ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster a Meridie, Aquilo a Septentrione. Unde explicans subdit :

A SUMPIS COELORUM USQUE AD TERMINOS EORUM. — Græce ἀπὸ ἀνατολῆς ἕως ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, id est ab extremo ad extremum, hoc est a termino uno cæli et terre, usque ad alium eorundem terminum, v. g. ab Oriente usque ad Occidentem : ἕως enim significat extrema quælibet, sive sint summa, sive infima, sive dextra, sive sinistra. Marcus, XIII, 27, habet : « A sursum et usque ad summum cæli, » quod idem est cum eo quod habet Matthæus ; q. d. Ab uno extremo terre usque ad aliud extremum cæli et terre. In extremis ubi enim solum, terra aspicientibus videtur jungi et coherere cælo; in horizonte enim apparet terre æque ac cæli terminus, quasi ibi terra cælo copuletur, ac cælium in terram arcuando desinat terræque insistat. Nil tamen obstat quin extrema cæli hic proprie capiuntur, q. d. Angeli congregabunt elec-

tos ubiqueque sint, sive in cælo, sive in terra. Nam corpora Patriarcharum, qui cum Christo resurrexerunt, sunt in cælo : unde e cælo descendunt in vallem Josaphat tempore judicii extremi.

Prius tamen videtur germanius, quia magis consentit cum verbis Matthæi et cum quatuor ventis; Marcus enim sequi solet Matthæum.

32. AB ARBORE AUTEM FICI DISCITE PARABOLAM. — Vers. 13, Luc. XXI, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90, 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100. Ficus prope-lyce.

Symbollæ ergo per ficum innuit Christus Sanctos et electos debere proferre dulcissimos et plurimos honorum operum fructus, ut per eos mereantur in estate resurrectionis gustare dulcedinem, et copiam celestis gloriæ in omnem æternitatem.

Ficus denique causa fuit excidii Carthaginensis : Cato enim, ait Plinius, lib. XV, cap. XVIII, « cum clamaret omni senatu Carthaginem delendam, atulit quodam die in curiam præcoccum ex ea provincia ficum. Ostendensque patribus, interrogo vos, induit, quando hoc pomum demptum puta-

lls ex arbore? Cum Inter omnes recens esse constaret : Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerpunt Carthaginem, tam prope a muris habemus hostem : statimque sumptum est Panicum tertium bellum, quo Carthago deleta est. »

Simili modo signa hæc, quæ Christus comparat ficis, erunt causa excidii orbis.

CUM IAM RAMUS EJUS TENER FUERIT, ET FOLIA NATA, SCITIS QUIA PROPE EST ESTAS. — Ob causam jam dictam, quia scilicet succus fici dulcissimus, in hieme se colligens, latensque in radice, sub æstate per calorem aeris elicuitus, se dispergit in ramos, ibique in frondes et ficus erumpit. Unde sicut arbor morus non germinat, nisi post transecta frigora (ne ab eis germina lasiantur) appetente jam calore et æstate, sic et ficus; inde quoque dicta est morus quasi parva, id est fatua, eo quod minime sit fatua, sed arborum sapientissima.

33. ITA ET VOS CUM VIDERITIS HEC OMNIA (signa jam dicta), SCITOTE QUIA PROPE EST IN IANUIS. — Imminet, imo quasi per jannam, jam in terram ingreditur Christus judex, ejusque gloriosum regnum, ac vestra « redemptio » (ut habet Lucas), hoc est resurrectio et gloria sempiterna. « Redemptio » enim significat liberationem ab omnibus malis et miseriis, quæ erit messis et post hiemem hanc ætas lætissima electis omnibus, ut imuit hæc parabola; q. d. Sicut frondente ficu imminet ætas, quæ suavissimos ficus cælestes fructus productit, sic cum videritis electos frondere tanta patientia, in hieme tantarum tribulationum, quæ eis accidunt in fine mundi, scitote quod instet eis patientiæ merces, scilicet ætas resurrectionis et felicitatis, quæ omnium honorum fructus et dotes eis cumulate afferet, bene et glorificante eos Christo iudice.

34. AMEN DICO VOBIS, QUIA NON PRÆTERIDIT GENERATIO HÆC, DONEC OMNIA HÆC FIANT. — Generatio hæc, scilicet hominum omnium, id est hoc sæculum, quod deinceps erit usque ad finem mundi. Ita S. Hieronymus, q. d. Ante finem mundi hæc omnia, ut dixi, evenerunt (1).

Secundo, Origenes, S. Iulianus et Chrysostomus pressius accipiunt « generationem, » ut significet gens fidelium sive Christianorum recens a Christo genitum, cui Christus in Apostolis loquebatur, juxta illud : « Hæc est generatio quærentium Dominum, » Psal. XXII, 6; q. d. Christianismus, qui mihi fideliter servierunt, a me Christiani qui mihi fideliter servierunt, a me præmierunt, beante et coronantur in die judicii.

35. COELUM ET TERRA TRANSIBUNT, VERBA AUTEM MEA NON PRÆTERIDUNT. — « Transibunt, » id est mutabuntur, esse desinent, peribunt secundum presentem conditionem et statum, ut in me-

(1) Generatio hæc, id est, sensu proprio et obvio, Judæi qui tunc vivebant, sensu autem remoto et minus proprio, humanum genus. — Vide notata vers. 4.

liorem transect ac cum Beatis glorificentur. Addunt nonnulli oculos in fine mundi mutandos, quoad formam et substantiam, de qua re fuse disputavit II Petri III, 13, et Isaïæ XXXIV, 4.

Denique posset hæc gnome accipi, non assertive sed comparative, q. d. Citius cæli transibunt et peribunt, quam mea verba transeunt et pereant. Sicut ergo cæli, utpote solidissimi, qui quasi ære fusi sunt, ut ait Job, nunquam peribunt, sic multo magis verba, id est oracula et decreta mea non excident, sed reipsa complebuntur; quia cælis ipsis sunt solidiora et firmiora. Ita Jansenius. Ego enim verbo meo oculos cævi et solidavi. Ita S. Chrysostomus.

36. DE DIE AUTEM ILLA (a) Ventus mei gloriosi ad judicium, ut electos becum et ad regnum cælestium traducam) ET HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI COELORUM (incoe, motores et presidens), NISI SOLUS PATER. — q. d. Nelle, o Apostoli, quæreret ex me quando simi rediturus judex, ac qua die futurum sit iudicium universale, quia nemo id scit nisi Deus, qui alium quemvis id scire non vult. « Repressit eos, ait S. Chrysostomus, ne discere vellent quod Angeli nesciant. » Porro de tempore finiendi mundi varias sunt sententiæ.

Primo, multi opinantur, mundum finiendum postquam steterit sex millibus annorum, sicut sex diebus idem conditus est, Genes. I, juxta illud Eliæ dictum vel oraculum : « Sex mille mundus. » Hæc opinio est probabilis, uti fuse ostendi Apocal. XX, 4.

Secundo, alii putant tot fore annos mundi post Christum, quod fuerit ante eum. Id ab eis colligitur ex illo Habacuc III, 2 : « Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies. » Sed alius illius loci est sensus, ut ibidem ostendi.

Tertio, alii censent tot jubileos annorum in Tertio Christi corpore mystico, puta in Ecclesia Christiana, fore, quot annos ipse vite complevit, puta 34, qui multiplicati per 30 (hic est enim numerus jubilei), faciunt annos 1700. Tot annis ergo putant duraturum Christianismum, ac deinde fore militantem Ecclesie mundique finem, ac triumphantis initium. Ita Cardinalis Cusanus, tract. de hac re.

Quarto, Christianus Druthmarus, qui floruit anno Christi 800 scripsitque in Matthæum : « Majores nostri, inquit, scriptum reliquero, quod octavo Calendæ apriliis (dies 25 martii) mundus factus est, Dominus conceptus et passus; et similiter mundus destruetur erit, sed quo anno id futurum sit, non dieunt. » Verum hæc incerta sunt et sine fundamento assentunt.

Quinto, nuper novus calculator, verius journalator, asservit diem iudicii instare, ac fore anno Domini 1666. Nascentur enim Antichristum anno Christi 1626, regnaturum ut Monarcham anno Christi 1636, moriturum anno Christi 1699, ac denique finem mundi fore anno 1666, tunc que

Consu- tam dis- rabet mundus? Opinio prima.

Secundo

Tertio

Quarto

Quinto

futurum iudicium. Probat id primo, ex eo quod hic annus Christi 1666 sit annus a creato mundo 6666, qui numerus est perfectus, ac proinde illo perficietur cursus mundi; secundo, quod veterum sit sententia, mundum duraturum per sex millia annorum; tertio, quod prima mundi consummatio per diluvium tempore Noe facta sit anno a mundo creato 1636. Ergo secunda mundi per ignem conflagratio pariter fiet anno a mundo per Christum recreato 1636, quia scilicet tunc regnabit Antichristus, qui paulo post finem mundi inducet anno Christi 1666. Quarto, quia S. Joannes, *Apocal. xiii*, 48, numerum bestie, id est Antichristi, ait fore 666.

Si obijcias dictum Christi: «De die autem illa nemo scit,» respondet «nemo scit,» scilicet in presenti, *q. d.* Nemo nunc scit diem iudicii, cui non obstat quod postea quis, sivo per revelationem, sive aliunde id scitur sit.

Verum hae frivola et anilia sunt, uti fuse ostendit Remacus de Vaux libro contra hunc calculatorem edito, cui titulus: *Harpocrates*, sive *Silentium*, ubi ostendit «nemo scit» ad sequentia tempora extendi, *q. d.* Nemo scit, nec sciet; nam, ut ait Theophylactus, «Hoc dum dicit, etiam prohibet eos anili, ut discant postea.» Quod enim Christus nescit, quis sciet?

Porro, calculator ille errat in fundamento; nam necdum exacta sunt sex millia annorum a condito mundo: quare annus Christi 1666 non erit annus mundi 6666, ut ipse ait, sed 3666. Quare acquiescamus Christo dicenti: «De die illa autem et hora nemo scit, neque angeli caelorum, sed solus Pater.»

**SED SOLUS PATER,** — qui ab aeterno in mente sua tempus huius diei statuit et decrevit, illudque apud se secretum servat. Porro, per «solus» non excluditur Filius, nec Spiritus Sanctus: nam et ipsi sciunt diem et horam iudicii, eoque ac Pater, cum eadem omnibus sit essentia, majestas, voluntas, mens, potestas, intellectus et scientia. Regula enim Theologorum est, quod «solus,» si addatur attributis essentialibus Dei (quale est scientia), tribuaturque uni personae divinae, non excludat reliquas duas, sed tantum creaturas, quae alterius sunt essentiae et naturae; at in attributis notionalibus, «solus» excludit alias personas divinas, ut cum dicitur, solus Pater generat, solus Filius generatur, etc.

Dicitur: *Marcus, xiii*, 32, addit: «Neque Filius;» sic enim habent Graecus, Latinus, Syrus, Arabicus, Aegyptius, Aethiopicus, Persicus. Varii hic varie respondent. Optima responsio est communis illa Patrum, scilicet Filium, et ut Deum et ut hominem, per scientiam infusam scire diem iudicii et consummationis saeculi; hoc enim scire ad ipsum qui iudex mundi est constitutus, pertinet. Negat tamen Christus id se scire ut homo est et ut Dei legatus erat ad nos, quia non ita sciebat ut revelare illum hominibus posset, sive illud

revelare non habebat in mandatis a Patre. Sicut legatus, si rogetur de secretis regis sui, vere respondet se ea nescire, etiamsi illa sciat, quia illa nescit ut legatus: ut legatus enim tantum refert illa quae illi a rege dicenda commissa sunt; secreta enim ab eo tacere jussit rex.

Sensus ergo est, *q. d.* Solus Deus scit, quo anno, die et hora futurus sit finis mundi diesque iudicii, ac licet Deus me Christum, ut homo sum, idem scire fecerit, me inquam, ut homo privatus sum, quia Verbo unitus, quia Pater noluit me diem illum hominibus revelare, sed voluit me illum servare secretum, ut homines semper suspensos teneat incerto, ut ad illum continue se comparare: quare nolite, o Apostoli, curiose de illius tempore a me exquirere, quod vobis dicere non possum, et ut legatus nescio. Simile est, *Joan. xv*, 48. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Origenes, Beda, Theophylactus hic, et S. Augustinus, lib. *LXXXIII Quaes. Evang.*, Quaes. LXI, et Franciscus Suarez, *III part. Quaes. X*, art. 9.

Huc referuntur illi, qui sic explicant, *q. d.* Christus, qua homo, nescivit diem iudicii, scivit tamen eum qua homo Deus, *q. d.* Christus homo scivit diem iudicii vi non humanitatis, sed divinitatis suae. Ita S. Athanasius, serm. *4 Contra Arianos*; Nazianzenus, orat. *4 De Theolog.*; Cyrillus, lib. *IX Thesauri*, cap. iv; Ambrosius, lib. *V De Fide*, cap. viii.

Aliter respondet Maldonatus, scilicet Christum, etiam qua Deus est, non scire diem iudicii, quasi ex officio, quia solius Patris officium est praedestinare, decernere et constituere diem iudicii, ac consequenter illum nosse et revelare cum voluerit; Patri enim appropriatur providentia, cuius pars est praedestinatio. Sed haec expositio est acutior et abstrusior; prior vero jam data solidior est et planior.

Porro, Agnoeta haeretici habiti sunt, quod dicerent Christum diem iudicii ignorasse, teste Damasceno, lib. *De Haeresibus*. Dicit sunt Agnoeta, id est ignorantes; horum auctor fuit Theophrastus (qui et Themistius dictus est) tempore Valentiniani Imperatoris et Liberii Pontificis, sub annum Domini 363. Ita Nicephorus, lib. *XVII*, cap. *L*. Vide Gabrielem Pratoolum, lib. *I De Haeresibus*, cap. *XIX*. Ad eos ex parte alludit Origenes, tract. *30 in Matthaeum*, qui censet Christum, cum haec diceret, ignorasse diem iudicii, scivisse vero eum post suam resurrectionem: tunc enim constitutus a Patre est iudex vivorum et mortuorum. Verum hic quoque est error; Christus enim ab initio conceptionis suae fuit plenus sapientia et gratia, quare in neutra crescer potuit.

37. SICUT AUTEM, ITA ERIT (continget et accidet) ET ADVENTUS FILII HOMINIS. — *q. d.* Sicut imminatum et subitum fuit diluvium quod omnes obruit, sic imminatus et subitum erit adventus

meus, qui omnes comprehendet. Patet ex sequent.

38. SICUT ENIM ERANT IN DIEBUS ANTE DILUVIUM, COMEDENTES ET BIBENTES (epulantes et convivantes sine cura et sollicitudine, «et tanquam nullo venturo malo lascivientes,» ait Chrysostomus), RUBENTES ET NUPTI TRADENTES (Graece *ῥυπαροὶ καὶ ἑταυροὶ*, id est ducentes uxores et ad nuptias dantes filias, sorores vel cognatas suas viris in uxores), USQUE AD EUM DIEM QUO INTRAVIT NOE IN ARCAM (1).

39. ET NON COGNOVERUNT (exitium et submersiorem sibi imminentem), DONEC VENIT DILUVIUM, ET TULIT OMNES: ITA ERIT ET ADVENTUS FILII HOMINIS, — subitus, inexpectatus et occupans incautos.

Dices: ex solis et lunae obscuracione, stellarum casu aliisque signis horrendis cognoscunt homines instare finem mundi. Unde ait Lucas: «Avescentibus hominibus praetimore et expectatione eorum quae supervenient universo orbi;» ergo finis mundi non erit eis inopinatus. Respondetur: Post solis et lunae obscuracionem reliquae signa praevia, dabit Deus aliquod tempus quietis et pacis, ac tum homines, oblitii signorum, dabunt se voluptatibus, gulae et luxuriae, ut ante: quare tunc Deus finem illis mundoque inducet, omnesque subito interitu obruet. Simili modo moribundi subinde revalescere videntur, sed illico in morbum recidunt ac moriuntur; perinde ac candela deficiens, extremum conatum exrens, flammulam, quasi spiritum emittit, ac illico extinguitur. Rursus tanta tunc erit multorum impiorum duritia et improbitas, ut, etiamsi videant solem et lunam obscurari, caeteraque signa; tamen gulae et luxuriae quibus assueverant, inhiant, nec cogitant de fine mundi et die iudicii instante, uti fecit Baltassar convivans cum suis ea nocte, qua Cyro obsessus et occisus est, donec vidit manum fatalem sibi exitum describerent per «mane, Theel, phares,» *Daniel. v*. Vide ibi dicta. Unde S. Augustinus, *epist. 80*, docet pius in fine mundi ob haec signa fore moestos, impios vero genio indulturos et exultaturos. Et S. Chrysostomus hic: «Pax, ait, et lascivia insensatis erit, iusti vitam in tribulatione trahentes merebunt.» Quocirca subjicit Christus:

40. TUNC DUO ERUNT IN AGRO: UNUS ASSUMETUR, ET UNUS RELINQUITUR. — *q. d.* In die iudicii Christus separabit soecum a socio, vicinum a vicino, v. g. agricolam ab agricola, ac eum qui iuste pieque vixit, assumet secum ad gloriam in caelum; alterum qui impie vixit, relinquet in suis sceleribus, ac reprobabit damnabilique ad poenas aeternas. Nam

(1) Notata dignum est Christum non loqui hic de horrendis vitis aut sceleribus, sed tantum de terrena molliorque vita: quae si innoctet fore ut homines, sine mundi adventante, quaerentes vite delicias, abnuent aut crucis viam et supernaturales virtutes. sapientia quadam et moralitate naturali confisi, Domini adventum neque praeviderunt, neque satis reformidarent.

ut ait S. Ambrosius in *cap. xvii Lucae, 35*: «Qui assumitur, rapitur obviante Christo in aera; qui autem relinquitur, improbat.» Dicit hoc Christus, tum ne quis fidat bonae societati, quod inter pius vivat; tum ut ostendat quam subtile et exactum sit futurum iudicium, quod patrem a filio, uxorem a marito, fratrem a fratre secrenet et dividet.

41. DUE MOLENTES IN MOLA: UNA ASSUMETUR, ET UNA RELINQUITUR. — Idem dicit, per aliud exemplum molentium: olim enim utebantur mollis, non aqua vel vento circumactis, sed trussalibus quas versabant servi et ancillae, itaque farinam conficiebant, ut patet *Exod. xi*, 3. «In mola,» Graece *ἡ ἄβανος*, id est in pistrino; ibi enim erant molindina, ut mollitam farinam mox pinserent et panes conficerent.

42. VIGILATE ERGO QUIA NESCITIS QUA HORA DOMINUS VESTER VENITURUS SIT. — *q. d.* Vigilantes, assidue cogitate mortem esse certam, diem vero mortis incertum. Idem dicit de die iudicii tum particularis, quod in morte cuiusque peragitur; tum universalis, quod fiet in fine mundi: quare ad utramque vos comparate assidue, virtutibus et bonis operibus incumbendo. Nam, ut ait S. Hieronymus in *cap. ii Joelis*: «Quod in die iudicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur.» Et S. Augustinus, *epist. 80*: «In quo quemque statu, inquit, invenerit suis novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.» Unde refert: «Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat adventus Domini. Imparatum autem invenit ille dies, quem imparatum invenit suae vite huius ultimis dies.»

Porro, causa cur Deus voluerit hunc diem nobis esse incertum, est, ut haec incertitudo nobis assidue sit acer stimulus ad omne virtutis studium. Nam, ut ait S. Chrysostomus, et ex eo Euthymius: «Si scirent homines quando sunt potissimum morituri, ea prorsus hora periret student et diligentiam circa illam horam ostenderent. Ne igitur illo solummodo tempore, sed continue diligentes sint, perque totam vitam magno studio satagant se paratos tenere ad communem omnium finem, et eum qui cuique proprius est, fecit Deus ut ignorarent, furisque instar venturum praedixit.»

Idecirco diabolus, ut hunc incertitudinis stimulum hominibus eripiat, eum per partes concidit et elidit, ac singulis persuadet vitam saltem unius anni, atque eo finito, sequentes, et ita deceipere sine fine: facit enim ut videantur sibi homines adeo vegeti et valentes, ut facile adhuc annum unum vivere queant. Singulis ergo annis hoc renovat, ac menti eorum ingerit: Tu recte vales, ideoque hoc anno non morieris; quo fit ut quasi certi de vita, singulis annis penitentiam et bona

Inter solis et lunae obscuracionem et iudicii diem intercedet aliquotidie moris qui est spirituum.

opera negligant differant ad annum quo moriantur; unde cum annus ille, qui morti singulorum a Deo decretus est, advenit, illo pavore se non morituros sibi persuadent; hinc fit ut semper imparatos et securos, tandem mors certa et dies ultimus invadat et obruat. Quare hoc diaboli principium ut errorem elidendum est, et contrarium menti infundendum, ut quisque sibi initio conjulibet anni. Iam diei dicat: Vita tibi brevis est, mors certa, dies mortis incerta. Ut ergo incerta te non preoccupet, certam quotidie expecta, tibi que dico: « Tu hoc anno, hoc die forte morieris: sic ergo vive, quasi hoc die moriturus. » Hoc documentum suis dabat S. Antonius, teste S. Athanasio: « Cum, inquit, excitat a somno, ad vesperam nos pervenire dubitemus, et quieti corpora concedentes de lucis non confidamus adventum, etc., non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur, nec irascemur quidem, nec terrenos congregare thesaurorum amblemus, quin potius metu quotidiani processus omnia caduca calcabimus. » Barlaam quoque idem docuit suum Josaphat: « Hodie, inquit, te vitam religiosam inchoasse cogita, hodie quoque finitum: » Ita Damascenus in *Histor.*; S. Hieronymus: « Sic vive, ait, quasi quotidie moriturus, sic stude tanquam semper victurus. » S. Marcella, ait S. Hieronymus, epist. 16 ad *Principiam*, « laudabat illud Platonium, qui philosophiam meditationem mortis esse dixit; et præceptum Satyrici: *Vive memor lethi, fugit hora*. Sic ergo vixit, ut semper se crederet esse morituram; sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offerens se hostiam raticabilem, vivam, placentem Deo. » Quin et Poeta:

Omniem crede diem tibi diluxisse supremam.

**VER. 43. LUC. XII. 43.** ILLUD AUTEM SCITOTE, QUONIAM SI SCIRET PATER FAMILIAS QUAE HORA FUR VENTURUS ESSET, VIGILARET UTIQUE, ET NON SIDERET PERFODI DOMUM SUAM. — Supplenda est hic altera et adversa parabola pars, que exintelligitur, hoc modo: sed quia hanc horam ignorat, nec ceteris omnibus vigilare vult aut potest, hinc fur, more suo, illa hora venit qua eum non vigilare, sed dormire putat, itaque eo dormiente domum ejus spoliat et diripit. Hunc esse sensum liquet ex Graeco; hic enim in praeterito sic loquitur: « Si scivisset paterfamilias quae hora fur venturus esset, vigilasset utique et non permisisset perfodi domum suam. » *Supple, q. d.* Quia autem hanc horam nescivit, ideo non vigilavit, et permisit domum suam a fure perfodi et diripi. Hinc fur dicitur a furvo, id est atro, quod per obscuras et tenebras noctes furatur, ait ex Varone Nonius.

Per furem S. Hilarius accipit zabolium, id est diabolum: « Furem, inquit, esse ostendit zabolium ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, et corporum nostrorum domibus insidiantem, ut ea incuriosis nobis et somno deditis consilio-

rum suorum atque illecebrarum juvenis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensam expectationis exagitat. » Verum melius accipias Christum; sic enim explicat ipse Christus, applicans sibi hanc furis parabolam, vers. seq. dicensque:

**44. IDEO ET VOS ESTOTE PARATI, QUAE QUAE NESCITIS HORA FILIUS HOMINIS VENIET.** — ad iudicium, tum particulare animas vestras in hora mortis, tum universale omnium hominum in fine mundi. Christus ergo comparat se furi, non quoad actum furandi, sed quoad silentium et secretum, quo fur captat horam qua pater herum abesse vel dormire, itaque incautum tam invadit, domumque ejus perfodit et spoliat. Simili enim modo Christus incautos et inopinatos vocat ad mortem et iudicium. Unde *Apoc.*, cap. XVI, 43, singulos præmonens ait: « Ecce venio sicut fur. » Et Paulus, *I Thessal.*, v. 4: « Vos autem fratres, inquit, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat; omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei, etc. Igitur non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus et sobrii simus. » Vere dixit Sapient: « Vita mortalium vigilia. »

Hujus sententiae Christi veritas, quotidiana liquet experientia. Videmus enim plerisque homines rapi ad mortem eo tempore quo sibi sani esse videntur, ac magno animo moluntur, ut mortem longe a se abesse putent, vitamque sibi multos annos promittant. Quare tum ex hac experientia, tum ex hoc Christi monito, contrarium facere debent, ut cum sibi sanissimi videntur, mortem stare in limine domus absconditam arbitrentur, ac tum se morituros credant, cum longioris vite cogitationes et spes vel a diabolo, vel a concupiscentia suggeruntur. Ita fiet ut nunquam fallat eos dies mortis incerta, neque eos ut fur comprehendat.

Ita fecere viri sapientes et sancti in *Vitis Patrum*, lib. V, libello III *De Compunctione*, n. 2. Abbas Ammon hoc cuidam dat salutis monitum: « Cogita sicut faciunt iniqui, qui sunt in carcere: illi enim interrogant homines, ubi est iudex, et quando veniet? et in ipsa expectatione penarum suarum plorant. Ita et monachus debet semper suspectus esse et animam suam objurare, dicendo: Vos mihi, quomodo habeo ad stare ante tribunal Christi, et quomodo habeo et actuum meorum reddere rationem? Si igitur semper sic meditatus fueris, poteris salvus esse. » Et num. 3, abbas Evagrius: « Illud divinum, ait, horrendum atque terribile imaginare iudicium. Adduc ad medium repositam peccatorum abus confusionem, quam passuri sunt in conspectu Christi et Dei, et coram Angelis et Archangelis, Potestatibus et universis hominibus, sed et supplicia omnia, ignem æternum, vermem immortalem, tartarorum tenebras, et super hæc omnia dentium stridores, et timores, et tormenta. Adduc etiam et

bona que sunt iustis reposita, fiduciam ante Deum Patrem et Christum ejus Filium, coram Angelis et Archangelis, et Potestatibus atque omni plebe, regnum celorum et dona ejus, gaudium et requiem, » etc. Et num. 4, abbas Elias ait: « Ego tres res timeo: unam, quando egressura est animo mea de corpore; allam, quando occurrurus sum Deo; tertiam, quando adversum me est profertenda sententia. » Sanctæ memoriæ Theophylus archiepiscopus, cum moriturus esset, dixit: « Beatus es, abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti. » Ibidem, num. 22, senex alius hoc dat monitum: « In omni re increpa animam tuam, dicendo ei: Memor esto quia te oportet Deo occurrere. » Et num. 23: « Vidit senex quemdam ridentem, et dixit ei: Coram celi et terræ Domino rationem totius vite nostræ reddituri sumus, et tu rides? »

**45. QUIS, PUTAS (Graece τίς ἔσται, id est quisnam, quis profecto, quis utique), EST SERVUS FIDELIS ET PRUDENS, QUEM CONSTITUIT DOMINUS SUPER FAMILIAM SUAM, UT DET ILLIS CIBUM IN TEMPORE?** — Prima facie videtur hic esse hiuleum, ἀνεστειλωμένο, sive interrogatio carens responsione, sed revera non est. Verba enim sic ordinanda sunt: Quis, putas, est servus, quem constituit dominus super familiam suam, ad hoc ut det illis (qui sunt in familia) cibum in tempore, fidelis et prudens? utique is est fidelis et prudens, qui idipsum ad quod constitutus est, præstat, qui scilicet singulis de familia dat cibum in tempore, hoc est cuique famulo et domestico suum cibum demensum distribuit, sive ut annonam, sive ut mercedem laboris. Olim enim cum rex esset pecunia, merces famulis solvebatur per annonam. « Utraque enim, ait Chrysostomus, re opus est, ut scilicet quæ domini sunt, ad proprios usus rapiamus, et ut opportune omnia dispensemus: nam si horum alterum absit, ejus absentia alterum omnino claudicat. »

Proprie hac gnome Christus tangit Episcopos et Pastores: his enim incumbit pascere Ecclesiam, quæ est familia ipsorum, imo Christi, ut singulis pabulum sacræ doctrinæ pro captu cuiusque distribuunt: quare has in re vigilantes, æque ac prudentes et fideles sint oportet. Ita S. Hilarius: Quamquam, ait, in commune nos ad indefessam vigilantiam curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est Episcopis in expectatione adventusque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem præpositum familie significat, eammoda atque utilitates commissi sibi populi curantem; qui si dicto audiens, et præceptis obediens erit, id est si doctrinæ opportunitate et veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, et verbum vite in eternitatis cibum alende familie dispendat, » etc.

Interrogatio ista, « quis, putas, » innuit paucos esse tales servos, puta Episcopos et Pastores,

qui per omnia in cura gregis Christo sint fideles et prudentes. Unde illud S. Hieronymi: « Sacerdotes multi, sacerdotes pauci. » Et illud S. Bonifacii, apostoli Germaniæ et martyris: « Olim sacerdotes aurei celebrabant in vasis ligneis; nunc sacerdotes lignei celebrant in vasis aureis. » Ita Titus Bostrenus in *Luca* XII, 43: « Non ignorans, inquit, dixit: Quis, putas, est? sed ut quod rarum est et multo honore dignum demonstraret. » Unde sequitur:

**46. BEATUS ILLE SERVUS, QUEM CUM VENERIT DOMINUS EJUS, INVENERIT SIC FACIENTEM.** — assidue scilicet et continuo usque ad mortem diemque iudicii particularis, et consequenter universalis, ut scilicet cuique fideli Ecclesie suæ congruum cibum, id est doctrinam et sacramenta, præsentium Eucharistiæ, ad alendam in fide et pietate animam tempore opportuno distribuatur. « Beatus » ergo est Episcopus, qui id præstat, quia non tantum ob suam sanctitatem coronam justitiæ a Christo accipiet, sed et tot coronas nanciscetur, quot fidelis in eadem aluit et promovit, juxta illud *Daniel.* cap. XII: « Qui ad iustitiam erudunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitatis. » Unde Christus causam curi beatus sit eritque, subdit dicens:

**47. AMEN (id est in veritate, vere et certo assevero, etc.) DICO VOBIS, QUONIAM (QUOD) SUPER OMNIA BONA STA CONSTITUIT HUIUS.** — Alludit ad servum qui ob meritum, quo familiam hori fideliter et prudenter rexit, meretur ab eo exallari, ac omnibus ejus bonis præfici, ut in cum hero quasi consors et socius, et pene æqualis fruatur, uti Joseph a Pharaone præpositus fuit Ægypti, ut reipsa (et si non nomine) esset rex Ægypti, *Gen.* XLI, 40. Simili enim modo Deus beatus et exaltabit prudentes et fideles Episcopos, qui fideles suos bene rexerint et dixerint ad æternam salutem, ut eos majori gloria donet, quam fideles privatos, adeoque eos non tantum illis præficiat, sed et faciat cæli ac terræ totiusque mundi reges et dominos. Ita Remigius: « Bonos auditores, ait, faciet discumbere, ut Lucas dicit, bonos predicatores super omnia bona constituit; magna enim distantia ut meritum, ut et premio-rum. » Et Origenes: « Congregabit, ait, cum Christo, qui omnia Pater tradidit. » S. Hilarius: « Super omnia bona constituitur, inquit, id est in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit ultra quod melius sit. » Hoc est quod dicitur *Apoc.* IV, 10: « Prociabant viginti quatuor seniores (Prælati et Episcopi) ante sedentem in throno, et adorabant viventem in secula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum. » Jucentes Agno, id est Christo, ut ait cap. IV: « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Vide ibi dicta. Quod de Episcopo dixi, applica cuilibet patrifamilias; hic enim domi suæ est quasi Episcopus, ut ait S. Augustinus, æque ac fidelis cuiusque sui ipsius.

Ver. 46. Luc. XII. 46.

Ver. 47. Luc. XII. 47.

Gloria sancto-rum Episcoporum.

In vita S. Amandi, qui tempore Dagoberti, regis Francorum, fuit Episcopus Traiectensis, claruit anno Domini 870, ac Gandenses, Sclavos, Vascones multosque alios ad Christum convertit, narratur quod ea ipsa hora, qua vita functus est, apparuerit S. Aldegundi in gloria circumdatus turba albatorum, cumque illa nesciret quidnam hæc significarent, audivit ab angelo: Vir Dei Amandus, gloriosus ad gaudia cœlestia pertransit. Turba albatorum sunt illi, qui per instantiam prædicationis ejus ascripti sunt cœlo, ac proinde super eos ipse princeps in æternum apparebit. Nam ejus discipuli illustriores fuere S. Landoaldus, S. Bavo, S. Amantius, S. Gertrudis, S. Maurontus, S. Andreas, S. Florebertus pluresque alii. Itâ habet eius Vita apud Surium, die 6 februarii.

SUPER OMNIA BONA SUA CONSTITUET EUM. — Græce, *super omnia quæ ipsius sunt*, ut vertit Syrus. « Bona » Dei sunt duplicia, scilicet primo, externa et creata, ut cœlum, terra omnesque creature iis contentæ: ita Origenes; secundo, interna et increata, ut sunt immensa ejus majestas, bonitas, suavitas, sapientia, potentia, honor, gloria cæteraque ejus attributa, tum essentialia, tum personalia, ut sunt paternitas, filio et spiratio Spiritus Sancti. Deus enim est oceanus, uti rerum, ita bonorum omnium; super utraque constituit Deus fidelem servum, puta Episcopum et Pastorem, quæ faciet eum quasi dominari, non tantum creaturis omnibus, sed et bonis omnibus immensis et infinitis quæ Deus in se continet, ut cum Deo ipsis fruatur, beatur et glorificetur in æternum. Si enim Jacob luctans cum Angelo Dei, eumque valentem vincens, dictus est Israel, id est dominans Deo, Genes. xxxii, 28; multo magis beati Episcopi sua virtute vincentes quasi Deum, vocabuntur eruntque Israelites, id est dominantes Deo, « ut eterna hæc præmia habeant, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia, » ait Rabanus: quia enim ipsi recte præferunt gregi Dei, hinc meriti sunt, ut bonis Dei, ipsique quasi Deo, ab ipso Deo per miram ejus dignationem, suo quodam modo præficerentur; Deus enim seipsum tradit in possessionem et peculium, juxta illud: « Dominus pars hereditatis mee et altitudo mei, » Psalm. xv.

43. SI AUTEM DIXERIT MALUS SERVUS ILLI (id est hujusmodi, constitutus scilicet ab hero super familiam suam) IN CORDE SUO: MORAM FACIT DOMINUS MEUS VENIRE. — *g. d. Si cogitarit Episcopus: longe a me abest dies mortis et judicii, quare utar et abutar vita et officio meo ad omnem luxum et ambitionem. Unde explicans, subdit:*

49. ET CŒPERIT PERCUTERE CONSERVOS SUOS, MANDUCT ET AUTEM ET RIBAT CUM EBRIOSIS, — id est ebrietati deditus; Græca, *cum ebriis*. « Percutere, » scilicet injuste. Nam, ut ait Auctor Imperfecti: « Qui propter justam causam percuit, etiamsi percuit, percute tamen non videtur. Sicut

enim justa ira non est ira, sed diligentia; sic justa percussio non est percussio, sed correctio, » uti pater et præceptor percuit et flagellat suos filios et discipulos, ut corrigant.

Indicat hic Christus Prælatorum duo esse capitula vitia, ex quibus cætera omnia scaturiunt; scilicet audaciam imperiosam et tyrannicam, ac cupiditatem sive studium voluptatum, gulae et luxurie. Hoc est quod Pastores et Episcopos admonet S. Petrus, *epist. I, cap. v, 2*: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non concite, sed spontaneæ secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem glorie coronam. » Vide ibi dicta.

50. VENIET DOMINUS SERVI ILLIUS IN DIE QUÆ NON SPERAT, ET HORA QUÆ IGNORAT. — « Non sperat, » id est non putat, non timet; Græce *ed expectat*, id est non expectat. Sic Virgilius, *I. Æneid.*:

At sperate (id est, timete) decos memores fami atque

Et lib. IV :

Hinc ego si potui tantum sperare (timere) dolorem.

51. ET DIVIDET EUM, PARSYEQVE (sortem et conditionem) EUS PONET CUM HYPOCRITIS : ILLIC ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM. — Pro « dividet, » Græce est *dyssociat*, id est dissecat, scilicet animam a corpore in morte et post mortem, animam tradendo gehemæ et demonibus, corpus sepulcro et vermibus. « Dividet, » ait S. Hieronymus, non quod gladio eum dissecet, sed quod a Sanctorum consortio eum separet, *q. d.* Christus talem Episcopum, non solum ab officio suo amovebit, sed et separabit a consortio Beatorum et Angelorum, cœli et Dei, ac tradet diabolo jugiter cum damnatis eruciandum in inferno.

CUM HYPOCRITIS, — id est cum pigris servis, qui quasi hypocritæ ad oculum domini serviunt, alias otiosi: nam extra oculos heri positi, vacant somno et poculis, ideoque mittendi sunt in ergastulum inferni, ubi est locus pigrorum. Sic passim in Proverbis « hypocrita » significat impium, qui pigre Deo, sed fervide suis cupiditatibus servit, ut ibi dixi. Alludit ad illud Job. xx, 29: « Hæc est pars hominis impii a Deo. » Et cap. viii, 13: « Spes hypocritæ peribit. » Et cap. xiii, 16: « Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. » Et *Isaie xxxiii, 14*: « Conteriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? »

Probavit Christus cuique fideli semper esse vigilandum, ut per bona opera se paret ad certum Domini ad judicium adventum, eo quod dies ejus sit incerta, ne illa ipsum incautum et

imparatum obruat, cum certo damnationis periculo. Probavit id primo, vers. 37, exemplo diluvii, quod sub Noe omnes inopinato submersit; secundo, vers. 43, per parabolam heri qui vigilat, ut furem lecto et clam irrepentem repellat; tertio, vers. 45, per parabolam servi fidelis et aliterius infidelis, quorum ille amolam a domino

recepit præmium, hic acre supplicium; quarto, cap. seq. vers. 1, per parabolam virginum prudentium, quæ acceperunt oleum in lampadibus; quinto, ibidem vers. 14, per parabolam talentorum, quæ herus in servos distribuit, ac cum eis strenua negotiantes gloriose remunerat, pigros vero et otiantes plectit.

## CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Christus fideles monere et stimulare ad assiduam vigilantiam et bonorum operum studium, ut semper sint parati ad incertum ejus adventum diemque judicii, ut patet ex vers. 12, et ex cap. præced., vers. 42. Quocirca primo, inducit parabolam decem virginum, quinque fatuarum et quinque prudentium, quarum illa carentes oleo exclusæ sunt a nuptiis sponsi, hæc vero admisse, quia oleum habebant in lampadibus. Secundo, vers. 14, inducit parabolam talentorum, quæ herus famulis suis distribuens ad negotiationem et lucrum, rediens deinde ab eis exegit, ac negotiosos præmiis, pigros et otiosos supplicis affectu. Denique, vers. 31, rem ipsam aperit, totamque judicii extremi ideam, ac sententiam tam in impios, quam in pios ferendam, oculis subjicit.

Ultima hæc fuere Christi monita, ideoque prægnantia et efficacit: nam post viduum captus et occisus est, ut patet cap. xxvi, vers. 2. Dixit ergo hæc Christus feria tertia, sive die martis, cum sequenti feria quinta Eucharistiam instituit, et feria sexta crucifixus est. Vide Chronotaxin.

1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes; 3. sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumperunt oleum secum; 4. prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virginibus illæ, et ornaverunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. 10. Dum autem irent emere, venit sponsus, et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. 11. Novissime vero veniunt et reliquæ virginibus, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. 13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. 14. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bonæ suæ. 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. 16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. 17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18. Qui autem unum acceperat, abiens fudit in terrâ, et abscondit pecuniam domini sui. 19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi dominus ejus: Eugene, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui. 22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23. Ait illi dominus ejus: Eugene, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium